



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 50. Fons Ebrardi fundatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](#)

§. L.

Sæcul. XII.
A.C. 1106.

Fons Eberhardi fundatur.

Non nulli Scriptores moderni has duas epistolas supposititias esse affirmant, rati, ea quæ continent Roberti Arbrisellensis Sanctitati, quam tota Ecclesia veneratur, convenire non posse. Sed utcunque res se habeat de his epistolis earumque veritate, constat, Robertum ipsum denique perspexisse, hanc vitæ rationem, & continuam ex utroque sexu agminis se sequentis peregrinationem, maximis periculis esse subiectam, quare aliquod desertum querere statuit, in quo sine ullius offendiculo degere possent. Tandem invenit locum proposito suo aptum in extrema parte Diocesis Pictaviensis duabus Leucis Candeo in Territorio Turonensi situm, qui Fons Eberhardi dicebatur, eratque solum incultum spinis & sentibus repletum, quod cum Robertus sibi donari a regionis illius Dominis impetrasset, ibidem Familiæ suæ a Deo sibi datae perpetuam sedem fixit.

Primum tuguria, ut injurias aeris arcerent, & deinde Sacellum extruxerunt. Robertus mulieres a viris separatas cellulis suis inclusit, eas præcipue orationi, & viros labori destinans. Clerici & Laici una degebant, Clerici Psalmos decantabant, & Missam celebrabant,

Laici

vit. Rob.

Sæcul. XII. A.C. 1106. Laici laborabant, omnes silentium horis statutis servabant, modestiæ & concordiæ studebant.

Robertum Magistrum suum vocabant, non enim Dominum se aut Abbatem dici sustinebat. Is peccatoribus vehementer irascebatur, & magna dicendi vi pollebat. Verum pœnitentibus lenis erat, indulgens aliis, sibi ipso asper, hypocritarum inimicus infessimus. Discipulos suos non alio nomine quam *Jeſu Christi pauperes* vari volebat. Quare etiam aliquamdiu illa solum annona, quam vicinarum regionum incolæ sponte sua afferebant, sustentabantur, sed brevi Fidelium Pietas fundos & prœdia hospitibus contulit, unde abunde ali potuerunt.

Petrus Episcopus Pictaviensis novelæ Congregationi favebat, quod patet ex edito Diplomate, in quo dicit: *Vir Apostolicus Robertus Arbrisellensis, post-*

Gall. Chron. quam magnam virorum mulierumque multitudinem suo bortatu ad relinquendum

Sæculum permovit, Ecclesiam Sanctæ Virginis honori fundavit, in loco nostræ Dicæsis, qui Fons Eberhardi dicitur. Hanc terram ei Aremburga Guidonis uxor & Rivaria ejus filia cum arvis, quæ uno anno boves quatuor colere possunt, donarunt. Ibidem ipse Sanctimoniales sub monastica Regula vivere cupientes collegit. Haud diu post Paschalem Papam adivi, & Prive-

vilegium buic Monasterio obtinui. Qua- Sæcul. XII.
re nos quoque hoc Institutum confirmam- A.C. 1106.
mus, & præcipimus, ne quisquam has Fe-
minas Deo Sacras, sub perpetui anathema-
tis pœna, perturbet, aut laceſſat. Hoc
Decretum consentiente Capitulo Pieta-
viensi datum est, cui Decanus, ceteri in
aliqua Dignitate constituti, & Canoni-
ci subſcriperunt. Annus appositus est
millesimus centesimus sextus. Summi
Pontificis Bullia, cuius mentionem facit,
vigesima quinta Aprilis eodem anno da-
ta, Reverentiam Episcopo secundum Ca-
nones debitam disertis verbis salvam *Pœn. Theod.*
esse jubet, id est ejusdem Jurisdictio- *to. 2. p. 622.*
nem, quod ex aliis Bullis huic similibus
cognoscimus. In ea fundi quatuor huic
monasterio donati nominantur, & hæc
fuere Fontis-Eberhardinæ Congregatio-
nis principia.

§. LI.

Concilium Gastallenſe.

Conſtituerat Paschalis Pontifex in Ger- *vit. per P. Pi-*
maniam proficiſci, totius Gentis no- *fan. n. 10.*
mine a Legatis Conventus Moguntini *Sup. §. 40.*
rogatus. Cum igitur itineri ſe dediſſet
& Florentiam pervenifſet, Concilium
coegit, in quo ferventer diſputatum
cum illius urbis Episcopo affirmante, An-
tichristum jam natum eſſe. Sed Quæ-
ſtionis iſolentia tantam attraxit multi-
tudinem